



## Quotidiana Christiani Militis Tesseræ

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

24. Dies Novembris. Quid erit hominis optimum, nisi cui inhærere est  
beatissimum? id autem est solus Deus. S. Augustinus de morib. Eccles. lib.  
1. cap. 14.

---

---

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

III. Vis animam penitus absorptam Dei amore scribit Tanner Carthusianus de B. Catharina Guenensi, hæc quæ sequuntur. (a) *Nonnunquam asserbat se nihil sentire intra se, nisi quod suo amore Deo plenissima esset, nec sciret, nec cognoscere posset aliquid præ Deum absque re ipsa tanquam anima, & corpore careret.* Et alibi: (b) *Tam ardentem ignem in me sine igne sustineo, ut quemlibet cuperem eum intelligere posse: accersum quod omnia, quæ afflarem igne Divini amoris accenderem, & concremarem.* Et alio tempore dicebat: (c) *Cor meum totum ardore consumi sentio. O si quædam eo versatur, eloqui possem: rogantibus ut aliquid referret, respondit: Desunt mihi verba tam ignito amoris convenientia: quacunque proferrem, adeo illi dissimilia essent, ut eidem injuriam facerem. Quod vobis narrare possum, hoc est, unica guttula de eo, quo cor meum plenum est, in infernum delapsa, mutaret illum planè in vitam eternam, tantusque ibi foret amor, ut quæ unio, ut dæmonum Angelos, & tormenta in oblectamenta verterentur. Cum Dei namque amore non potest consistere cruciatus. His similia sunt quæ asserit Pachomius. Qui perfecte amat Deum, nihil amplius patitur in hoc mundo: amor, & dolor non sunt simul in uno corde. Quid ni omni quo potes conatu, comparas tibi hunc Dei amorem, quo non evadis omne malum, acquiris omne bonum.*

*Sic cupis omne bonum, te fugit omne malum.*

#### 24. DIES NOVEMBRIS.

Quid erit hominis optimum, nisi cui inhaerere est beatissimum? id autem est solus Deus. *S. Augustinus de morib. Eceles. lib. I. cap. 14.*

(a) Cap. 65. (b) Cap. 9. (c) Cap. 36.



Deo in- I.  
hæren-  
dum.

**N**E æternum pereas, vide cui adhæreas. Adhæreere alicui non est libertas, est necessitas. Nullus enim quamdiu spirat, non aliquid amat. Aliquid amare est alicui adhæreere. Cui potius adhærebis, quàm quod adhærenti est optimum, eumque reddit beatissimum? Quis ille, nisi de quo Propheta Regius: (a) *Mihi adhæreere Deo bonum est*: Scis quam bonum? respondeat D. Augustinus: (b) *Cùm in hæsero tibi ex omni me, omninò nusquam erit mihi dolor & labor, & viva erit vita mea, tota plena te.* Qui habet Deum & illi adhæret, quid amplius opus habet? aut quomodo non pudebit habere, aut cupere alia? In sumptuoso apparatu, & autea supellectili, & abaco vas luteum, immundum, & informe nemo nò potius frangeret in mille frustra quàm illud habere, ne offendat videntes illud inter res tanti pretii. O infinita Majestas, & pulchritudo pretiosissima! tu es in medio cordis mei, quomodo ad latus meum audeo terrenum aliquid congregare, & tecum una possidere? Omnia corda hominum, qui sunt, fuerunt, erunt, & omnes voluntates Seraphinorum, & reliquorum spirituum, non sufficiunt ut occupentur in Deo; cur ego pusillus homuncio, unicum cor meum occupabo in aliis rebus & non expediam, ut tradatur Deo meo? si habeam aliud præter Deum, nec aliud planè possideo, nec Deum, si mihi habeam nisi Deum, non tantum possideo Deum, sed fruor Deo, & omnibus.

II. Si adhæreas mundo, eris immundus: si gloriæ, evades inglorius; si famæ, redderis infamis; si honori, eris sine honore; si divitiis, scatebis vitiis; si homini, niteris

(a) *Psal. 2. 72. 28.* (b) *l. 10. cont. c. 28.*



niteris arundini. Sequere consilium D. Augustini  
 (a) *Ut sit homo aliquid, convertat se ad illū à quo creatus  
 est: recedendo enim frigescit, accedendo fervescit; recedendo  
 tenebrescit, accedendo clarescit: à quo enim habet  
 ut sit, apud illum habet ut benè sit.* Itaque adhaere bo-  
 no, ut tibi benè; optimo ut sit optimè. Ama illum  
 quem ut amare non obliviscaris, toto orbe sunt po-  
 sita amoris monumenta: quoquò intendis oculos  
 amare Deum tuum moneris: quoquò vertis cogita-  
 tiones, occurrit illecebra amoris. Aspice cælos, amo-  
 ris sunt palatia; observa eorum motus, amoris sunt  
 agitationes; vide stellas, amoris sunt faces; sole in-  
 tuere, amoris est radius; lunam pallidam confiden-  
 amoris est color; nam pallet amans: amoris suspi-  
 ria, venti sunt; mare æstuans, amoris fervor est. *Flu-  
 halat ex floribus, viret in herbis, sapit in cibus, pluit  
 in pulchris.* Terra germinans, aura spirans, æquor flu-  
 ctuans, ignis ardens, amoris sunt monita, amant  
 monumenta: amorem suggerunt muti pisces, amo-  
 rem cantillant garrulæ aves, clamant amorem bene  
 animantes: totus homo Dei, & tui similis, persequat  
 amorem, omnia suis obsequiis, tuum mundant  
 amorem. O amabilissime Deus, quàm venaris amo-  
 rem meum, cui capiendo, orbe toto creaturam  
 tuarum ponis laqueos. Utinam capiar Deus meus!  
 utinam sim amoris tui præda, ne fiam alterius amoris  
 præda, ac & illius cum mei exitio præda.

III. Nonne est jam receptum ab hominibus hoc  
 amoris oraculum, ama & fac quod vis: ama, & dic  
 quod vis; ama, & cogita quod vis: quia quid quid fa-  
 cias, dicas, cogites, semper amabis: imò quisquis  
 amans dicit, non amo, dicit amo. O amare! ô amare!

(a) *In Psal. 70.*



ô amanti abscondi ! ô amato frui ! ô ludum amoris !  
 ô amabiles querelas ! ô homo ama, & fac quod vis !  
 ô anima ama, & amare, & postea dic, & fac quod vis,  
 ab amato, & in amante nihil displicet : si non vis, &  
 amor æterne à me amari indignissimo, cur te reddis  
 mihi tam amabilem? amore tui cor ardet, anima lan-  
 guet, non languet amor, sed languet amans : quia vi-  
 get amor, ideò viget languor. O amabilissime Deus,  
 tu es Dominus meus, & ego subditus tuus; quid jam  
 imperas Domine? aliud nihil quàm amorem. O qui a-  
 le regnum Dei mei ! in quo regit bonitas, in quo lex,  
 amor est, & amare tributum est. O amabilissime  
 Deus! quàm bonus es, cujus imperium amor est. O  
 amantium Rex ! Tantinè est tibi amor meus, ut nisi  
 amem, oderis me? & morte afficias me, eaque æter-  
 na? ita scilicet carus sum, ut tantis minis ad amorem  
 me tui, id est ad felicitatem meam, compelllas. O  
 Deus! quid possum aliud quàm amare te, non quia  
 minaris, sed quia ex amore minaris. O contumax ani-  
 ma, cede tandem minis divinis, & ama Dem tuum,  
 quem dum amas & minas evadis, & promissa conse-  
 queris, ac pro odio amorem, pro morte lucraris vitã.  
 O amor meus! quid humi repis, quid per solum ser-  
 pis, quid vagaris per infima? Amor est ignis, igitur  
 ejus sphaera est sursum. Illic tuus sit amor, ubi cen-  
 trum est amoris, sit amor non transiens, sed adhæ-  
 rens; sit sincerus, & serius, & redibit serus: siquidem

*Cedit amor verus, redamantis pectores serus.*

## 25. DIES NOVEMB.

Sicut voluntas propria Dei, fons est totius boni, sic  
 propria voluntas hominis, totius exordium est  
 mali. *S. Anselmus libr. de simil. cap. 8.*